

CONCIO IX.

DE DIVINA GRATIA.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïæ 27, 9).

Quamdiu in hoc mundo vivit homo (si non sit in gratia confirmatus), est mutabilis a gratia ad peccatum, et a peccato ad gratiam. In eo tamen diversimode fiunt hæ mutationes; nam, ut a statu gratiæ ad peccati statum transeat, supernaturali Dei auxilio non eget; sed ut a statu peccati ad gratiæ et sanctitatis statum transire, nec non ad Deum converti valeat, gratiæ actualis auxilio indiget, sine quo nil supernaturale operari potest: *ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo seipsum peccavit; ut autem redeat ad justitiam, opus habet Medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est* (August. lib. *De nat. et grat.*, c. 23).

Quotidiana docet experientia, res etiam inanimatas propriæ inclinationis pondere absque ullo extraneo auxilio ad nativam redire temperiem: et sic aqua ab igne calefacta, [semoto igne] ex semetipsa nativum resumit frigus. Sed homo, in peccatum lapsus, propriis viribus, et sine supernaturali gratiæ actualis auxilio ad Deum converti, et ad pristinum gratiæ sanctificantis statum redire nequit; quia gratia actualis est medium absolute necessarium, ut homo in seipso peccatum destruat, et ad Deum convertatur: *non potest homo esse liber dominante peccato, nisi Filius illum liberaverit* (August. lib. I c. Julian). De gratia actuali, quæ est medium ad peccati destructionem absolute necessarium, ista instituetur concio, *Ave*.

Gratia actualis est donum Dei, motus Dei, auxilium Dei. Gratia est donum Dei pietosissimum, cujus minimus gradus tanti est pretii, ut terrestria omnia pretio suo longe superet: *bonum gratiæ unius majus est, quam bonum to-*

tius universi (D. Tho. 1, 2, q. 113, art. 6). Gratia est etiam motus Dei, et sacer impulsus, sine quo a peccatis surgere, et ad Deum trahi nequimus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (Joan. 6). Gratia tandem est auxilium cœlestè, sine quo nil supernaturale, nilque meritorium agere possumus: *sine me nihil potestis facere* (Joan. 15). Si autem gratia est donum pretiosissimum, cur illud a Deo enixe non postulabimus? Si gratia est sacer motus, quo ad Deum trahimur, cui ei resistemus? Si gratia est auxilium potentissimum, cur ei non cooperabimur? Gratia quidem *est donum*, quod petendum; *est motus*, cui non resistendum; *est auxilium*, cui cooperandum. Oportet ergo 1. gratiam petere: 2. gratiæ non resistere: 3. gratiæ cooperari.

I PARS.

Oportet gratiam a Deo petere.

Fingunt Poetae, Mydam auri cupidissimum a diis suis petisse ut quidquid in [regno suo] nasceretur e terra probatissimum aurum esset. Votis ejus innumeris dii; cumque jam omnis terræ partus aurum esset, ingens oborta est fames; tuncque stultissimam petitionem fuisse novit; et ut loquitur Ovidius,

*Attonitus novitate mali, divesque, miserque
Effugere optat opes, et que modo voverat odit.*

Multi similiter vana, inutilia, imo et noxia a Deo postulant. Aliquis in oratione petit lucra, temporalem dignitatem postulat alius, uxorem alius querit: iste longiorem vitam sibi dari rogat, ille corporis valetudinem: hic orat, ut merces secure ad portum appellent; alter, ut pinguis ad ipsum perveniat hereditas; alius, ut pace tandem firmata, mercatura vigeat; et ut loquitur S. Ambrosius: *Plerumque in oratione avarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore*. Verum audiamus eundem Ambrosium dicentem; *Noli orare pro*

pecunia, quia arugo est: noli pro auro, quia metallum est: noli orare pro possessione, quia terra est. Scio, non esse prohibitum temporalia petere: quia si ea habere liceat, cur ea petere non licebit? Alio tamen modo petenda sunt, quam spiritualia. Temporalia enim non absolute petenda sunt; sed sub ea conditione, quod eorum impetratio et possessio profectui nostro spirituali non obsit: gratia vero absolute, sed est bonum spirituale ad destruenda peccata, ad conversionem et ad salutem absolute necessarium. Sine gratia peccata tua destruere nequis: ideo petenda est. Sine gratia ad Deum converti omnino non potes, ideo petenda est. Sine gratia ad æternam requiem nulla ratione pertingere vales, ideo petenda est. Sine gratia passionum impetus frenare, æstus concupiscentiæ temperare, sustinere demonum conflictus, et Dei mandata servare nequis, propterea petenda est. Hoc petendum, hoc a Deo enixe postulandum; non autem terrena, quorum possessio salutem nostram sæpe quam maxime obsedit. De Metello refert Plinius, quod decem a diis postulaverit: nempe, ut esset peritissimus helli dux, optimus orator, et fortissimus imperator; ut auspicio suo maximæ res gererentur; ut maximo honore frueretur, summa sapientia polleret, et præcellens senator cæteris præstaret; ut magnam pecuniarum copiam bono modo inveniret, multos liberos reliqueret, et clarissimus in civitate haberetur. Ecce quid petere soleant plerique hominum; divitias, honores, et futes dignitates insanis ambiunt votis; eas etiam invito cælo postulant, et non secus ac Metellus, de Dei gratia, et æterna felicitate petenda minime curant. Unde iis merito dici potest: *usque modo non petistis quidquam* (Joan. 16). Quamdiu enim terrena petunt, non petunt *quidquam*: quia terrena omnia, respectu gratiæ, non sunt *quid*; sed sunt quasi nihilum. Pete ergo quid a Domino: pete gratiam, quæ est quid magnum, quid pretiosum, et quid ita necessarium, ut sine ea a peccato surgere, ad Deum converti, et salvari nequeas.

Ad Christum accessit mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et *petens aliquid ab eo* (Matth. 20). Quid petis, mulier?

forte, ut filii tui cælestibus gratiis repleantur, et in gratia Dei confirmentur? non: forte ut pretiosa futura sit mors eorum in conspectu Domini, et ut æterna videntur supplicia? non. Quid ergo petis? anne ut filii æterno Patri placere, et cælestia regna obtinere valeant? nequaquam: hujusmodi non postulat ambitiosa mater; sed petit, ut filii ad altiores sedes in Christi regno eleventur; et ut ibi unus ad dexteram, et alter ad sinistram Salvatoris sedeat: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo* (Ibid). O mulier, si tu et filii sciretis, quæ et qualia sint quæ petitis, profecto talia non peteretis: sed *nescitis quid petitis*. Nesciebat quid peteret illa mulier; et nesciunt quid petant plerique mortalium. O mulieres steriles, summo cum affectu a Deo petitis vobis dare filios? *nescitis quid petitis*: quia si dentur vobis filii, truces forsitan et carnifices vobis erunt. O matres ambitiosæ, petitis filios vestros ad altiores dignitates in sæculo sublimari? *nescitis quid petitis*: quia quo altius elevabuntur, eo forte lapsu graviore ruent. O viri, o mulieres, enixe Deum rogatis, ut transitorias opes, et umbratiles vobis dare dignetur honores? *nescitis quid petitis*: quia si hæc vobis darentur, ruinæ forsitan et æternæ damnationis vobis occasio forent. Quapropter non hæc et his similia; sed Dei gratiam supplices postulate. Undique vos circumdant, et impugnant tartarei spiritus: gratiam petite, cuius auxilio insidias illorum declinare, et impetus comprimere valeatis. Impugnat vos corrupta caro, et ad prava vos inclinat? gratiam postulate, ut de illa gloriose triumphare possitis. A multo tempore ex prava consuetudine in plurima caditis peccata? Deum supplices rogate, ut gratiam vobis infundat, cujus virtute a perversæ hujus consuetudinis vinculis vos extricare valeatis. In omnibus tandem spiritualibus necessitatibus gratiam petite, sine qua nil in ordine ad salutem possumus; et qua adjuti, omnia possumus: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. 4, 13).

In oratione petunt aliqui mala, alii ridicula, et alii prava. *Aliqui* petunt mala turpia, sclerata, et ut loquitur Seneca, *turpissima vota diis insurrant*. Nonne milites bella petunt, et annonæ caritatem agricolæ. Si plurium medicorum votis Deus

annueret, nonne ingenti morborum agmine mundum repleret? Si multos Jurisperitos Deus exaudiret, nonne undique scaturirent dissidia et lites? Si quod muliercalca, caupones, aurigæ, et alii multi in igne furoris sui, et ex prava loquendi consuetudine postulanti, Deus fieri permitteret, innumeri sane homines, pueri et equi interirent, a demonibus auferrentur, et ad tartara ruerent. O infandas petitiones; quæ non fiunt sine peccato, et quæ fiunt in peccatum: *Oratio ejus fiat in peccatum* (Psal. 108). Ut enim ait sanctus Gregorius: *Oratio in peccatum est, illa petere, quæ prohibet ipse a quo petitur* (Hom. 37, in ev.). *Alii* absurda, et ita ridicula a Deo flagitant, ut eos puderet, si vota quæ animo volunt, et tacitas preces quas Deo fundunt, vicini perciperent. Hi similes Philoxeno, qui summa impudentia collum gruis a Deo petebat, ut eo gratius in ventrem fluere vinum, quo tubo longiore. Sed, ut monet Seneca, huiusmodi non sunt fundendæ preces; nullusque a Deo petere debet, quod palam petere non audeat. *Nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam* (Ep. 10).

Alii tandem parva petunt; terrenas scilicet facultates, mundi dignitates, et alia istiusmodi, quæ ita parva sunt, ut nihilum censeantur: *Certo certius constat, omnia humana risum, pulverem, et nihil esse*. Non ergo petenda quæ mala sunt, quæ ridicula sunt, quæ parva sunt: sed petenda Dei gratia, qua in hoc mundo nihil melius, nihil pretiosius, nihil majus à Deo dari solet: *Qui vere Christianus est, non illa petere debet; sed totum pondus orationis suæ ad expetendam gratiam, et æternam beatitudinem impendere debet* (S. Aug. ser. 2 De verb. Dom.).

Veri et sancti illi Christiani, qui in primis Ecclesiæ sæculis flourerunt, non divitias petebant, quæ multis exitio fuerunt; sed gratiam, cujus pretio æternas opes comparare possent. Hi terrenas dignitates non postulabant, quæ plurimos pessumderunt: sed Dei gratiam, qua mediante cœlestes dignitates assequi, et ad sublimes cœli sedes ascendere valerent. Hi vana, inutilia, et mala a Deo non petebant; sed gratiam, quæ est quid pretiosissimum, quid maxime utile, et ad salutem absolute necessarium. Hi probe scientes sobrietatem, modestiam, imo et castitatem in conviviis sæpe naufragari, adversus hæc omnia divinæ gratiæ præ-

sidium supplices petebant: nec prius accumbebant mensæ, quam in oratione eam enixe petissent: *Non prius discumbitur, quam oratio prægustetur* (Tert. Apol.). Gratiæ divinæ auxilium hi a Deo etiam tunc petere soliti erant, cum Cæsarum urgebat persecutio; ut mediante gratiæ subsidio, de tyrannis et supplicibus triumpharent. Hi tandem gratiam a Deo petebant, ut de demonum astutia, de passionum tyrannide, de concupiscentiæ illecebris, de mundi fallaciis, et de pravis quibusque carnis motibus victores evaderent: ac in omni tempore Deum rogabant, dicentes: *Tua nos, Domine, gratia perveniat, et sequatur*. Sicut autem illi in omni casu, et necessitate gratiam; ita et nos, non terrena, sed Dei gratiam continue petere debemus: *gratiam petite, de Patre, petite de Domino: petite, et accipietis*. Ast non oportet solum gratiam petere; *verum et oportet ei non resistere*.

II PARS.

Oportet gratiæ non resistere.

Nullam Deus dat gratiam, cujuscumque naturæ illa sit, quæ hominem necessitet. Dat quidem interdum gratias aliquas fortiter traentes, victrices et triumphantes, quarum auxilio freti, vincimus, et triumphamus: sed nullam tribuit gratiam, quæ liberam hominis tollat voluntatem, et quæ liberum ejus arbitrium necessario trahat. Gratia enim sic se voluntati nostræ contemperat, ut ad ordinis supernaturalis opera faciendam eam elevet: nullam tamen unquam ei necessitatem imponit, ac semper voluntas nostra libera manet, ita ut oblatam gratiam respuere possit; possibile semper consentire, vel dissentire iis, ad quæ gratia movet: *situm est in hominis voluntate, iniquit Concilium Coloniense, ut gratiam Dei oblatam accipiat, vel respuat*. Et Concilium Tridentinum anathemate ferit eos qui dixerint, nos non posse oblatam gratiam respuere, et ei dissentire: *Si quis dixerit, liberum arbitrium, a Deo motum*

et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, neque posse dissentire, si velit, anathema sit.

Gratiæ divinæ resistere possumus: et proh dolor! tanta est malitia nostra, talisque nostra ingratitudo, ut ei crebro resistamus, eamque sæpe sæpius abiciamus. Oblatæ a Deo gratiæ semper resistebant hi, quibus dicebat Stephanus: *vos semper Spiritui Sancto resistitis* (Act. 7, 51); et plerique Christianorum, si non semper, saltem sæpe ei resistunt. Audiunt sæpe illam intus loquentem, ac quasi alterum Joannem Baptistam clamantem, *non licet tibi*. Divina illa gratia in corde peccatorum loquitur, dicitque ei: o peccator, *non licet tibi* proximi bona vi, vel fraude auferre: *non licet tibi* alterius uxorem in adulterium adducere: *non licet tibi* hoc et illud peccatum perpetrare: *non licet tibi* in pravo hoc et illo habitu perseverare. Sic in hominum cordibus gratia loquitur; sic eos interius monet, et excitat; sed plerique internæ ejus voci ejusque salutaribus monitis repugnant. Vocat eos Deus per gratiam suam; vocat eos a statu peccati ad statum justitiæ: vocat eos ad bona opera crebro faciendâ; verum hi gratiæ Dei resistunt: *vocavi, et renuistis*. At si saperent, divinæ gratiæ non resisterent, nec eam in semetipsis extinguerent: *Spiritum nolite extinguere* (I. Thes. 5, 19).

Nobis sæpe sese offert divina gratia, instar interni a cœlo missi luminis, a quo noster illustratur intellectus; et a quo *nunc* nobis sapientia, bonitas, justitia, et aliæ perfectiones divinæ manifestantur; *nunc* nobis notificantur Paradisi gaudia, tremenda Dei judicia, et formidanda inferni supplicia; et *nunc* nobis interius notum fit, quam magna sit peccati malitia, quantum deplorandus sit conscientiæ nostræ status, et quam suave sit christiane vivere, ac Deo fideliter servire; internis autem his gratiæ divinæ illustrationibus resistere, easque abicere nefas: *Spiritum nolite extinguere*. Gratia etiam actualis ad nos sæpe venit per modum interni et spiritualis cujusdam ignis, quo ad declinandum a malo, et ad bene faciendum movemur, et accendimur, ita ut dicere possint quicumque hujusmodi gratiam receperunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?*

(Luc. 24, 31). Sacer autem hic ignis non est extinguendus, hæc gratia non est abicienda, nec ei resistendum est. Quia qui gratiæ Dei resistunt, Christum, a quo est omnis gratia, contemnunt, et despiciunt: *Qui gratiam Christi abiciunt, eam habent ostentui* (Hugo Card. in c. 6, Ep. ad Heb.). Ita Christum contemnunt, et ostentui habent qui gratiæ ejus resistunt, ut quodam modo similes videantur his, qui tempore passionis in faciem ejus spuerunt. Eorum nonnunquam detestatur impudentiam, qui divinum Christi vultum fœdissimis sputis lacerarunt; irascimur adversus impios Salvatoris irrisores, et sacrilegos Judeos tam orribilium ludibriorum auctores. At similis flagitii rei sumus cum gratiam, passionibus Christi partam, respicimus et abicimus. Ut enim ait D. Augustinus, qui gratiæ Dei resistit, similis est illis, qui horrendis sputis faciem Christi sordidarunt; *Qui expuerunt in faciem Christi, significant eos, qui præsentiam gratiæ suæ respuunt*. O immane sacrilegium! o grande piaculum! o gravissimum Christi contemptum!

Non solum in Christi faciem expunnt, qui gratiæ ejus resistunt, verum et pretiosum ejus sanguinem conculcant. Scit unusquisque vestrum, quod post Adami lapsam a peccato surgere nequibamus, quia deerat nobis gratia, sine qua a peccato surgere nemo potest. In hunc autem mundum venit Christus, qui laboravit plurimum, sudavit multum, gravia passus est supplicia, et proprium sanguinem fudit, ut gratiam nobis mereretur; *Gratiæ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. 7, 25). Quare cum Christus gratiam passionibus, et sanguinis sui effusione nobis meruerit, gratia est quid pretiosissimum ex Christi sudoribus et sanguine conflatum. Quid ergo agis, o peccator, cum oblatæ a Deo gratiæ resistis? sudores quidem, merita, et Christi sanguinem conculcas. O quam magna est hæc tua ingratitudo! Sed o quantis dignus es suppliciis ob tuam hanc ingratitudinem, et ob hanc impudentiam, qua Christi sanguinem conculcas! Si qui olim irritam faciebant legem Moysis, sine ulla miseratione morti addicebantur; *quanto magis*, inquit D. Paulus, *putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo*

sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Profecto qui divinæ gratiæ resistentes, Christi sanguinem conculcant, et Spiritui gratiæ contumeliam faciunt, gravissimis digni sunt suppliciis ac suppliciorum thesauros in inferno sibi accumulunt: *Thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi iudicii Dei* (Rom. 2, 5).

Qui vocanti, et trahenti gratiæ resistunt ingrati sunt tanti beneficii, quod illis a Deo offertur, contemunt pretiosum illud donum, quod a Deo illis confertur, injuriam faciunt Christo, qui magno pretio gratiam hominibus emit, et meruit, in Christi faciem exspuunt, et sanguinem ejus conculcant, atque ingratitudine et impudentia sua indigni fiunt Dei beneficiis, Deique manum comprimunt, ne eis majorem gratiarum abundantiam largiatur. Unde fit, ut paulisper a salutis cura deficiant, deinde in cæcitatem, in cordis duritiam, necnon in impenitentiam cadant, ac tandem pœnarum et iræ Dei thesauros in inferno sibi congregent; *thesaurizas tibi iram*.

O quam grave est Dei gratiæ resistere? Nihilominus o quam multi gratiæ ejus resistunt? quam multi rebelles sunt gratiæ lumini? Multos Deus, gratiæ suæ ministerio, ad Religionis statum vocat, et plerique vocanti Deo obedire renuunt: per gratiam suam multis inspirat Deus, ut a proximis peccandi occasionibus declinent, utque pravos habitus eradicare conentur, et pauci obtemperant: movet alios Deus ad aliena restituenda et ad charitatis opera facienda, et his Dei inspirationibus, ac sacris divinæ gratiæ impulsibus plerique resistunt. Sed nonne Deus per gratiam suam omnes peccatores ad pœnitentiam, et ad pie vivendum vocat; *ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Vocat quidem eos Deus, et ut ait S. Bernardus, plurimis modis eos vocat; vocat undique Deus ad correctionem, vocat ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectionem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis. His et aliis innumeris modis sese insinuat gratia, ut peccatores a vitiis avocet, et ad pœnitentiam adducat; qui tamen Dei gratiæ resistunt, idque facere

renuunt, quod faciendum Deus inspirat. O peccatores, desinite inique agere, ne amplius rebelles sitis gratiæ lumini, ne imposterum Deo per gratiam vocanti resistatis, sed sincero corde dicat unusquisque vestrum: *Vocabis, et ego respondebo tibi* (Job. 14, 15). Ne dicatis: *Vocabis me, et ego renuam; Vocabis me per gratiam, et ego perversa mea voluntate resistam;* sed Deo, et divinæ gratiæ obtemperate, *ac ei etiam cooperamini*.

III PARS.

Oportet Dei gratiæ cooperari.

Deus cujus infinita est potentia, omnes effectus naturales per se solum, et sine ulla creaturarum simultanea actione producere posset; sed ex nimia qua pollet bonitate, innatæ quam creaturis dedit, virtuti se aptat, cum illis agit, et simul cum eis omnes naturæ effectus producit. Cum sole illuminat, calefacit cum igne; cum arboribus fructus procreat, et cum omni agente creato ita operatur, ut nullus in orbe ordinis naturalis effectus producatur, qui non sit a Deo et a creatura, quique a Deo, ut a causa prima, et a creatura, ut a causa secunda non procedat.

In ordine autem ad effectus supernaturales qui ad conversionem, merita et salutem nostram spectant, vult etiam Deus nos simul cum ipso agere. Verum quidem nos nil supernaturale et meritum sine divinæ gratiæ auxilio facere posse: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5); sed dat nobis Deus gratiam suam, vultque ut nos simul cum ea agamus, et ei cooperemur. Non ita per gratiam suam Deus in nobis agit, ut nos nihil agere sinat, sed ita agit, ut nos simul cum gratia agere, et gratiæ cooperare velit Filii Dei; uti docet D. Augustinus dicens; *per gratiam excitantur et aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant*. Quare, ut agit sanctus Ambrosius, simul cum Dei gratia agere, eique cooperari oportet: *Cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei, ut illam excitantem juven-*

tem, locupletantem, et quotidie provehentem subsequamur. O peccator, monet, et movet te Dei gratia, ut ad Deum convertaris? *Concertere ad Dominum Deum tuum.* Vocat te gratia ad altioris perfectionis statum? Hunc statum generosè sectare. Excitat te gratia ad Dei et Ecclesie præcepta servanda, nec non ad variarum virtutum opera faciendâ? Præcepta adamussim serva, et virtuti constanter adhære. Fac tandem id ad quod te Dei gratia vocat et movet, eique in omnibus cooperare; quia non oportet solum nos divinæ gratiæ esse admiratores, et quæstores; sed necesse est etiam, ut simus cooperatores ita ut ei excitanti et vocanti pareamus; ac simul cum illa, salutis nostræ opera faciamus; *Cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei.*

A Deo supplex postulabat Propheta, sibi dari gratiam, cujus virtute cor suum ad bonum faciendum inclinaretur; *Inclina cor meum* (Ps. 118); sed et ipse gratiæ cooperabatur, ipse cum gratia agebat, ac simul cum gratia cor suum inclinante, cor suum et ipse inclinabat; *Inclinavi cor meum.* Unde regii Vatis cor duo simul inclinabant, Deus scilicet et ipse; Deus per gratiam quam ei largiebatur, et ipse per liberum arbitrium a Dei gratia adjutum; inclinabat Deus agendo in corde ejus per gratiam suam, et inclinabat ille agendo ex parte sua, et cooperando gratiæ; dumque Deus cor Prophete per gratiam suam ad bonum inclinabat; ipse identidem, divinæ gratiæ cooperans, cor suum ad idem bonum faciendum inclinabat; *inclinavi cor meum.* O quam pauci gratiæ divinæ fideliter cooperantur! quam pauci corda sua ad surgendum a peccato et ad pie vivendum inclinant! Multi quidem corda sua a Deo inclinari petunt, sed pauci ea ad bene faciendum inclinant. Deo quamplurimi in oratione dicunt, da mihi, Domine, gratiam tuam; fac, ut a peccatis declinem, converte me Domine, ac cor meum totaliter immuta; *inclina cor meum:* sed plerique nihil agere volunt, ut a peccatis declinent, ut convertantur, ut mutentur, et ut corda sua ad bene faciendum inclinentur. Dicunt Deo: *Inclina cor meum* Deus, per gratiam tuam, sed non dicunt: *Inclinavi cor meum,* divinæ gratiæ cooperando. Utrumque tamen

est Deo dicendum; ab eo enim petenda gratia, qua ad recte vivendum inclinemur, sed cooperandum etiam divinæ gratiæ, et simul cum ea corda nostra ad bene faciendum inclinare debemus: *Cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei.*

Ad hanc cooperationem fideles hortabatur D. Paulus, dicens: *Hortamur vos, me in vacuum gratiam Dei recipiatis* (1. Cor. 6, 1). Quæ verba exponens Primasius, ait: *In vacuum gratiam Dei recipit qui cum gratia Dei non laborat.* Laboras cum gratia? non in vacuum eam recipis. Non laboras cum gratia? in vacuum eam recipis. Labora ergo cum gratia, ei cooperare, ut in vanum eam non recipias. Non solum hortatur nos D. Paulus, ut gratiæ Dei cooperemur: sed etiam vult, ut ad ei cooperandum summo studio, et speciali cura attendamus, et invigilemus: *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.* Seu, ut explicat Hugo Cardinalis, *Attendentes, ne quis desit gratiæ Dei.* Homo deest gratiæ, inquit præfatus Cardinalis, *quando subtrahit se ad cooperandum ei, seu ad simul operandum cum ea: sicut miles deest gladio, cum pigritatur operari strenue cum eo.* Attendere autem quisque debet, ut non desit gratiæ, sed ei sedulo cooperetur: *contemplantes, ne quis desit gratiæ.* Hæc voluntatis nostræ cooperatio ita necessaria est, ut non possit homo ad Deum converti et salvari, nisi gratiæ Dei cooperetur. Ad salutem enim, et ad vitam æternam obtinendam jungi debent gratia, et liberum arbitrium: *Gratia* quæ nos præveniat, et adjuvet, *et liberum arbitrium,* quod gratiæ cooperetur (August. lib. Hipognostici, c. 3). Per solam Dei gratiam homo adultus salvari non potest: per solam etiam voluntatis operationem, vitam æternam mereri nequit: *Neque gratia sine libero arbitrio faciet hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia.* Ut igitur homo salvetur, gratia quidem indiget, quæ operetur: sed et ipse gratiæ necessario cooperari debet, cui si non cooperetur, numquam salvabitur. Audite, quomodo de gratia et de cooperatione nostra requisita ad æternam beatitudinem assequendam loquatur universorum Magister. Non omnes, inquit, qui Dei gratiam po-

stulant, regnum Dei consequentur: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum celorum* (Matth. 7, 23). Quis ergo regnum Dei obtinebit, et vitam æternam assoquetur? Is qui gratiæ Dei ita cooperabitur, ut in necessariis ad salutem voluntatem Dei faciat: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum celorum.*

De coturnicibus refert Jovinianus, quod cum volando mare trajicere nequeant, nonnunquam supra maris undas enatent, ita tamen ut alam unam in aërem elevent, alteram in aquam deprimant. Illa quam sursum tollunt, eis pro velo est, et aëris, ventique auxilium capit: illa vero quam in aquam deprimunt, remigat et enatat: quare dici potest, coturnices velis et remis navigare, ut ad optatum portum perveniant. Nos autem in hoc mundo, quasi in procelloso mari navigamus; et portus noster, ad quem appellere debemus, Paradisus est. Sed ut ad illum pervenire valeamus, velis et remis indigemus: *Velis*, quidem, seu ope Spiritus Sancti, quo per gratiam suam flante, versus cœlum progrediamur: *et remis*, seu labore nostro et nostra cooperatione. Sine gratia enim et nostra cooperatione ad cœlum pervenire, et salvari nequimus. Ad salutem utrumque necessarium est, et gratia, et cooperatio nostra: *utraque alteri necessaria est, et industriæ gratia, et gratiæ industria* (Gilber., ser. 7 in Cant.). Gratia quidem est in agendo prima; nunquam enim opera æternæ gloriæ meritoria faceremus, si nos Deus per gratiam suam non præveniret, et ad bene agendum non excitaret; cum vero nos Deus gratia sua prævenit, gratiæ ejus cooperari debemus. Stat Deus ad cordis nostri ostium; stat ibi, et per gratiam suam pulsat: *Sto ad ostium, et pulso* (Apoc. 3, 20). Pulsanti autem Deo aperiendum est gratiæ ejus cooperando; ac illic gradiendum, quo Deus per gratiam suam nos vocat et trahit. Sicut animalia illa mystica, de quibus Ezechiel, eo gradiebatur, quo a spiritu trahebantur: *Ubi erant impetus spiritus illuc gradiebantur.* Ita et quisque scrutari debet, quo Spiritus Sancti gratia illum trahat; illucque debet incedere, quo illum gratia trahit. O Christiane, inspirat tibi Deus, ut prava consortia fu-

gias? ea sedulo, et prompte fuge. Movet te Dei gratia ad penitentiam? cito, et serio penitentiam age. Excitat te Spiritus Sanctus ad præceptorum custodiam? illa omnia, nullo excepto, fideliter et religiose serva. Eo tandem gradere, quo te pellit divinæ gratiæ ventus: gratiæ, saltem in necessariis ad salutem, sedulo cooperare. Et mediante hoc divinæ gratiæ auxilio, tuaque cooperatione, æternam beatitudinem obtinebis. *Amen.*

CONCIO X.

DE PENITENTIA.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïæ 27, 9).

Si nullum in orbe terrarum esset peccatum, ab eo exularet penitentia: sed quia tot in mundo sunt peccatores, quot homines, oportet, ut concionatores suggestum ingrediantur sicut Jonas in civitatem Ninivem, vel, sicut Sanctus Christi Præcursor intravit in desertum; ut scilicet homines ad destruenda in se peccata excitent, et ad penitentiam agendam alliciant: *Penitentiam agite.* Verum est, inter Catholicos satis communem esse hisce temporibus penitentiae usum: sed inter eos raro invenitur vera penitentia. Plurimi enim, qui ad sacra reconciliationis tribunalia accedunt, non penitentiam, sed penitentiae larvam habent: penitentes creduntur ab hominibus, coram autem occulti iudicis oculis penitentes revera non sunt; quia penitentia eorum non vera et perfecta, sed in specie solummodo et imperfecta est, quæ penitentiam nomen habet, rem non habet. Hujusmodi autem penitentia exterior et speciosa peccata non destruit, imo sæpius augeat: quia ut penitentia peccata destruere valeat, vera, perfecta, et omnibus numeris absoluta sit oportet. Sicut enim, inquit Tertullianus, debita non sol-

vuntur nummis falsis, ita Deo non fit satis, nec peccata destruuntur falsa penitentia. Cum itaque peccati destructionem in toto hoc Adventu susceperimus, de vera illa penitentia quæ est medium efficacissimum ad destruenda peccata, hodie dicemus, docebimusque quæ requirantur ad veram penitentiam, quæ cor hominis immutat, ac veniam meretur et gratiam. *Ave.*

Adversus Deum peccamus corde, peccamus lingua, peccamus manu; seu, quod idem est, adversus eum peccamus pravis cogitationibus quas cor parturit, verbis indebitis quæ lingua profert, et actionibus iniquis quas manus operatur: *Peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere.* Sicut autem cor, lingua, et manus sunt peccatorum nostrorum principia et causæ: ita, ut peccata in semetipso quis destruat, corde, lingua, et manu uti debet *corde*, ut peccata sua detestetur: *lingua*, ut ea confiteatur: *manu*, ut pro iis satisficiat: *Peccator*, inquit Doctor Seraphicus, *culpam animo detestetur, verbo accuset, et facto puniat.*

Vera penitentia incipit a corde, quod perpetrata peccata detestatur, et de iis dolet: a corde autem transit ad os, quod commissa peccata sincere confitetur, et prudenti confessario declarat: ab ore tandem migrat ad manum, quæ pro peccatis satisficiat, fructusque penitentia dignos operatur. Videamus quomodo corde, ore, manu hominem ponere oporteat, ac probe scrutemur ad veram penitentiam requiri: 1. Ut cor peccata detestetur; 2. Ut lingua peccata confiteatur; 3. Ut manus pro peccatis satisficiat. *Cordis dolor, oris confessio, manus satisfactio* sunt tria ad veram penitentiam necessaria, ut in tribus hujus concionis partibus probabimus.

I PARS.

Ad veram penitentiam requiritur dolor cordis.

Certum est, peccata actualia per penitentia Sacramentum nunquam remitti, nisi de iis doleat peccator: *Doleat et ingemiscat necesse est* (Tertull. *De Penit.*, c. 7). Ille autem dolor,

ut peccata destruere et delere valeat, debet ex corde procedere; ad omnia peccata, saltem mortalia, se extendere, et propositum non amplius peccandi includere. Ille dolor debet esse: 1. *Dolor cordis*, qui ex corde vere oriatur; 2. *Dolor cordis*, qui ad omnia peccata se extendat; 3. *Dolor cordis*, qui propositum non amplius peccandi includat.

1. Duplex est dolor internus. *Unus* qui excitatur in appetitu sensitivo; quo quis ad suspiria, ad plactus et ad lacrymas movetur. Et iste dolor, licet bonus esse possit, et laudabilis, non tamen necessarius est ad penitentia valorem; quia hic dolor non est in nostra potestate; hunc enim dolorem sensibilem in se excitare, et lacrymas fundere non potest quisque, prout voluerit. *Alius* dolor internus est *dolor cordis*, seu voluntatis; qui dolor, ut ait Doctor Seraphicus, nihil aliud est, quam *peccati displicentia*; tuncque vere habemus hunc cordis dolorem, quando perpetrata peccata voluntas detestatur; vel cum peccasse ei displicet. Et iste dolor cordis, seu, ista peccati displicentia, et detestatio, *est de essentia penitentia*, inquit S. Bonaventura. Quare sicut res aliqua non potest subsistere sine his quæ sunt ejus essentia; ita nec sine hoc cordis dolore vera penitentia esse potest. De quo si adhuc dubites, audi Concilium Tridentinum dicens, quod *fuit quovis tempore ad impetrandam veniam hic contritionis motus necessarius.* Et hoc docent omnes Theologi, qui cordis dolorem ad delenda peccata ita necessarium censet, ut, licet dicant aliqui, Deum de potentia sua absoluta posse remittere peccata, etiamsi nullus sit dolor ex parte penitentis; in hoc tamen conveniunt omnes, quod de ordinaria Dei potentia remitti nequeant, nisi sit dolor ex parte penitentis, et nisi ei peccasse displiceat. Non enim potest quis per penitentiam reconciliari cum Deo, nec veniam peccatorum obtinere, nisi de offensa in Deum commissa doleat. Quia Deus hos solum sanat, iisque solum indulget, qui dolorem habent in corde: *Qui sanat contritos corde* (Psal. 146, 3).

Multos reperire est, qui cum non habeant penitentia sacramentalis usum, nec contritionis, nec attritionis actus elicere norunt; quare atqueam ad Confessarium, peccata sua decla-

ratur, accedant, sumpto quodam libello, in eo semel et iterum contritionis, et attritionis actus legunt, sed absque ulla attentione ad ea quæ legunt. In libello suo legunt: *Domine, doleo de peccato commisso*; sed nullus eis in corde de peccatis dolor. Et quia doloris actus pluries legerunt, doloris actus vere eliciisse, sibi per penitentiam peccata remissa esse credunt. At falluntur multum, et hallucinantur: quia ad veram penitentiam non requiritur actus doloris in oculis, qui luceant; sed in corde quod peccata vere et sincere detestetur: Deus enim non sanat contritos oculos, sed contritos corde; *Qui sanat contritos corde*. In similem errorem cadunt alii, qui cum peccata sua frequenter confiteri, et doloris actus elicere soleant; hos actus sæpe ex consuetudine, ore solum, et non corde eliciunt; non attendentes ad ea quæ dicunt, nec in corde verum dolorem habentes, sed ore solum dicentes: *Domine, de peccatis doleo*. Quod nonnumquam aliquibus accidit, qui cum totam penitentiam essentiam et perfectionem in hoc consistere opinentur, quod omnia peccata accurate dicant, temporis multum in conscientiam suam examine insumunt: actum vero doloris de peccatis perfunctorie, absque ulla advertentia, et ore solummodo proferunt. Istorum autem nulla est penitentia, nullaque iis fit peccatorum remissio: tum quia cordis dolor est de essentia penitentiam: tum quia Deus hos solum sanat, qui habent dolorem in corde: tum quia, ut ait sacrum Concilium Tridentinum, dolor ad penitentiam necessarius, *est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso*. Hic dolor hæere non debet in oculis, vel in labiis; sed in animo, seu in corde et voluntate: *Est dolor animi*. Ad veram ergo penitentiam requiritur cordis dolor, qui vere a corde procedat. *Sed requiritur etiam cordis dolor, qui ad omnia peccata mortalia se extendat.*

2. Non est necesse, ut homo multis mortalibus gravatus, de quolibet illorum specialiter doleat, et ut quodlibet speciali doloris actu detestetur: debet tamen cordis dolor ad omnia et singula, saltem generaliter, se extendere: ita ut nullum sit peccatum mortale, de quo non doleat, saltem in genere. Si enim pec-

cator doleat quidem de aliquibus mortalibus, sed in aliis sibi complaceat, vel de iis non doleat; dimidiatus ille dolor est inutilis, et nec ad penitentiam valorem, nec ad delenda peccata sufficit. Quod ut quam verum sit, pateat, audiendus Spiritus sanctus qui apud Ezechielem ait: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vita vivet, et non morietur*. Non dixit: si de aliquibus; sed, *si de omnibus peccatis*: Quia si non de omnibus, sed de aliquibus solum mortalibus dolor habeatur, dolor ille nullus est, penitentia nulla, nec aliqua fit peccatorum remissio: unum enim mortale sine alio remitti impossibile est; et, ut ait Augustinus, *species quædam infidelitatis est, ab illo qui justus est, dimidiam sperare veniam*. Herodes, audito Joanne Baptista ipsum de criminibus redarguente, non de omnibus, sed de multis peccatis dolebat; multaque ad eorum deletionem faciebat: *Audito eo, multa faciebat* (Marc. 6, 20). Quid emolumenti inde percipit Herodes? Est ne inde justificatus? sunt ne ei dimissa omnia peccata? nequaquam. Quia ad hoc ut quis justificetur, non de aliquibus solum aut de multis, sed de omnibus mortalibus dolere debet: *Debet dolere de crimine, et de omni ejus varietate* (Aug., lib. *De vera et falsa penit.*, 77). In quolibet peccatore passio quædam prædominans esse solet qua uni cuidam peccato ita adhæret, ut licet de aliis omnibus doleat, de illo tamen vix cogitet ad penitendum, quin potius in eo delectatur, et sibi complacet: *Sunt plures*, inquit Augustinus, *quos penitet peccasse, sed non omnino; servantes quædam in quibus sibi delectantur*. Sic nonnumquam videmus homines ebrietati deditos, qui libidinem, avaritiam, et alia multa detestantur vitia; sed de ebrietate dolere non possunt: quinimo de ea gloriantur, et in ea sibi complacent. Sic homines fœdis addicti libidinibus, usuras, ebrietates, et alia multa sæpe oderunt peccata; in quæ si incidant, ea facile detestantur; sed de suis nunquam perfecte dolent libidinibus; quin potius in iis magis et magis delectantur, iisque pertinacius adherent. Iis autem nil prodest, quod de aliquibus solum doleant peccatis, quia ad hoc ut vera sit penitentia, et ut deleantur pec-

cata, dolor non de aliquibus solum, sed de omnibus mortalibus esse debet: *Debet dolere de crimine, et de omni ejus varietate*. Sed cordis dolor non solum debet ad omnia mortalia se extendere; *verum et propositum non amplius peccandi includere*.

3. Ad Confessarios accedunt sæpe famosi peccatores, quorum alii pravo quodam habitu a multo tempore constricti detinentur; alii in proxima peccandi occasione vivunt; et alii ab annis pluribus aliena inique detinent. Hujusmodi peccatores ad sacrum penitentiae Tribunal se sistunt non ut pravos in semetipsis habitus destruant, non ut proximis abrenuntient peccandi occasionibus, non ut injuste ablata restituant, nec ut peccatis valeant, sed ut absolutionem quomodocumque a Confessario obtineant; et ideo ut illum ad dandam absolutionem alliciant, pectora tundunt, fundunt lacrymas, ac pluries protestantur se posterum ea omnia, quæ Christiani hominis sunt, studiose facturos. Hoc protestantur in præsens, hoc protestati erant anno proxime elapso, hoc protestati sunt quoties a multis annis ad penitentiale Tribunal accesserunt, sed quia hæ protestationes factæ fuerunt et falsæ, nullus etiam fuit eorum dolor, et penitentia nulla. Ut enim ait Concilium Tridentinum, ad veram penitentiam requiritur cordis dolor, qui firmum, et verum non amplius peccandi propositum includat. Debetque homo penitens de peccatis dolere, *cum proposito non peccandi de cætero*. Ad penitentiae valorem necessario requiritur dolor quidam internus, qui sit vel actus contritionis, vel actus attritionis: non enim valere potest data a Sacerdote absolutio, nisi penitens actum contritionis, vel attritionis eliciat qui sit materia proxima, supra quam applicetur absolutio, quæ est penitentiae forma. Sive autem hic doloris actus sit contritio, sive sit attritio, semper includit propositum non peccandi deinceps, ut patet ex definitione utriusque doloris. Contritio enim est dolor, seu, detestatio de peccato propter Deum summe dilectum, *cum proposito non peccandi de cætero*, ut loquitur Concilium Tridentinum. Attritio vero, ut ait idem Concilium, est dolor de peccato commisso; qui dolor oritur, non ex dilectione Dei

super omnia: sed ex aliis motivis, v. g. ex metu gehennæ, ex metu amittendi gloriam æternam, vel ex turpitudine ipsius peccati, cum spo venia, et *intentione non peccandi demo*. Ideo cum quilibet ex his doloribus, quorum alteruter ad penitentiae valorem necessario requiritur, includat propositum non peccandi deinceps; dicendum quod cordis dolor, qui ad penitentiae valorem absolute requiritur, necessario includit propositum præcavendi in posterum omnia gravia peccata. Dolor ad penitentiam requisitus, sive sit contritio, sive sit attritio, duos habet respectus: *unum*, ad præteritum, seu ad peccata præterita, quæ detestatur: *aliud*, ad futurum, seu ad peccata quæ in futuro vitare firmiter proponit. Et istud propositum non peccandi in futuro est necessarium: *tum* ad obtinendum penitentiae finem, quæ ad emendationem vite tendit: *tum* ad impetrandam a Deo veniam; non enim peti, et ab aliquo venia facile obtineri potest, nisi appareat propositum non ei amplius injuriam aliquam faciendi: *tum* ad penitentiae valorem; nulla enim est penitentia, si sit sine dolore interno, in quo formaliter vel saltem virtualiter includatur propositum non amplius peccandi, seu *non peccandi de cætero*. Ecce dolorem, qui penitentiam salutare operatur. *Seil ad eam necessaria est etiam oris confessio*.

II PARS.

Ad veram penitentiam requiritur oris confessio.

Ad penitentiae valorem non sufficit ut doleat cor; debet etiam lingua loqui, et post cordis dolorem, sequi debet oris confessio: *Post dolorem cordis, sequitur confessio oris* (S. Bern., ser. 40 de die.). Verum est, ab homine penitente ita perfectum nonnunquam elici doloris actum, ut omnia ejus peccata, etiam ante confessionem, deleat; manet tamen ei onus peccata mortalia confitendi, non aliqua solum, sed 1. *Omnia* sine exceptione: 2. *Omnia* sine diminutione: 3. *Omnia* sine furo.

1. Plures invenies, quos quisque scit blasphemis, ebrietatibus, luxurie, et aliis vitis addictos: plures qui turpiter, impie, et maximo cum aliorum scandalo vivunt, qui tamen cum ad Confessarium accedunt, se nihil mali fecisse, aut in levissima solum quædam peccata lapsos esse asserunt. Si iis credatur, nunquam blasphemarunt, impudicitii et ebrietati nunquam indulserunt, proximum in facultatibus et in fama læserunt nunquam: ac se leviter mentitos esse, vel aliud aliud veniale peccatum perpetrasse vix fatentur. Hi similes videntur Adamo, qui postquam in Deum peccavit, *abscondit se*: peccata enim sua abscondunt, nec ea Confessario manifestare volunt. Ast omnia penitus mortalia nullo excepto, in confessione sunt manifestanda: non solum in genere, et in specie, verum etiam in numero, non solum fieri potest. Quod ad remissionem peccatorum obtinendam de jure divino necessarium asserit Concilium Tridentinum, his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habetur, anathema sit.* Antequam peccatores ad penitentiale Tribunal se sistant, suam serio discutere debent conscientiam, ac peccatorum suorum speciem et numerum examinare: *Discute conscientiam tuam, ascende tribunal mentis tue, noli tibi parcere, examina te.* (Aug. in Ps. 101). Hæc conscientie discussio non perfunctorie et negligenter, sed accurate et diligenter est facienda: *Peccator debet seipsum diligenter excutere, et conscientie suæ sinus omnes et latebras explorare* (Trid. sess. 14, cap. 5). Non segniter, sed magno studio inquirere quisque debet, quæ peccata corde, ore, et opere, contra Deum, seipsum, et proximum perpetraverit: talemque inquisitionem quisque facere debet, qualis in arduo, et magni momenti negotio requiritur. Facto autem hoc examine, non aliqua solum ex peccatis cognitis, et in se adnotatis, sed omnia penitus et singula mortalia peccata, quarum quisque memoriam habuerit, confiteri debet. Non tacendum hoc peccatum, quod pudor de-

clarare vetat: non sub silentio prætereundum illud, quod non esse mortale tibi suadero conaris, non illud reticendum, quod perpetrasti, dum adhuc pueriles annos agebas, sæ quantum fieri potest, mortalia, quorum memineras, sunt omnia, nullo excepto, confitenda. Necessarium est *iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habetur.* At si peccata mortalia sunt confitenda omnia sine exceptione: *sunt etiam confitenda omnia sine diminutione.*

2. Aliqui gravia quævis quæ perpetrarunt peccata, circumstantiis minuentibus ita involvunt, ut non mortalia, sed venialia et levissima peccata videantur. Si ad sola eorum verba attendamus, omnia peccata de quibus se accusant, aut sunt motus primo primi, aut sunt in materia levi, aut absque plena deliberatione fuere perpetrata, aut ita vehemens extitit passio, ut ei resistere non poterint. Si proximo damnum intulerint, dicunt semper, quod de re parvi momenti agatur, si restitutum sit facienda mora eorum nunquam est culpabilis, si mentibus eorum impudicæ irrepserint cogitationes, eas statim expulisse ajunt: nec ulla in iis unquam fuit complacientia voluntaria: si adversus proximum locuti sunt, res semper erat levis momenti, et ea solummodo dixerunt, quæ sciebant omnes. Hi tandem ita peccata sua minuunt, ut licet mortalia, et gravissima in se sint, ea ut venialia, et ut levia quædam delicta confiteantur. O qualem peccata sua confitendi modum! o quam mendaces et fallaces filii hominum! o quam minuuntur ab iis veritates: *Diminute sunt veritates a filiis hominum!* (Ps. 11, 2). Sed o quam inutilis et prava hæc confessionis praxis! Hæc sanè confessione nulla obtinetur peccatorum remissio: quia, ut ex Concilio Tridentino diximus, ut quis in Sacramento penitentiae remissionem peccatorum consequatur, omnia et singula mortalia, quorum prævio diligenti examine meminit, confiteri tenetur, si possit. Qui autem peccata sua mortalia in confessione ita minuunt, ut venialia solum videantur, non vere mortalia sua peccata confitentur, sed illa operiunt, ac proinde nihil eorum prodest penitentia, nec criminum suorum remissionem obtinent.

Tantum abest, quod hujusmodi penitentibus mortalia remittantur peccata, quin contra talis eorum confessio est sacrilega, suisque peccatis addunt sacrilegium quod perpetrant, cum mortalia sua peccata ita minuunt, ut venialia solummodo videantur. Fatentur enim omnes, sacrilegium perpetrare illum, qui mortale aliquid sine legitima causa in confessione reticet, quia profanat penitentiae Sacramentum. Qui autem mortalia sua peccata in confessione ita minuunt, ut venialia solum appareant mortalia sua non vere confitentur, sed ea potius Confessario occultant, ac tantum abest quod a peccatis solvantur, quin contra peccatis suis novum peccatum, seu sacrilegium addunt. Omnia ergo mortalia confitenda sunt sine diminutione, sed *confitenda sunt etiam omnia sine fuco*:

3. Peccata sua ita confitentur quidam tantoque ea fuco operiunt, ut gravitatem illorum non solum minuant, verum et ea virtutis minio operiant, eaque tamquam præclaras Christiani hominis virtutes Confessario declarent. Homo, v. g., qui usurariis lucris ad pinguiorem venit fortunam, Confessario dicit se quidem mutuo dedisse pecuniam, et lucrum ex mutuo (1) accepisse, magnum tamen charitatis actum se in hoc exercuisse, quia mutua hac pecunia mutuataris subvenerunt, ne ab aliis creditoribus opprimerentur, et ne fame perirent; ecce hominem ex charitatis motivo usurarium, Paterfamilias qui famulorum, et mercenariorum mercedem iis invitis detinet, excusabit se apud Confessarium, dicens; aliquid mercenariis meis solvendum mihi superest, nil tamen inde iis detrimenti eveniet; quin est quod mihi gratiam referant, quia si eos totaliter solvissem, quæ illis dedissem, jam dissipata essent; ecce hominem qui se beneficum dicit, sibi gratiarum actiones deberi putat, quia aliena inique detinet. Patres, et matres, qui in propriis domibus irasci, et

(1) Tempore auctoris magna questio agitabatur circa licitatem lucri ex mutuo, multis in varias sententias abeuntibus; hodiernum ex variis RR. Pontificum Constitutionibus et Responsis constat licere lucrum ex mutuo percipere, etiam habita tantum ratione legis civilis id statuentis, dummodo quisque paratus sit parere mandatis Ecclesie. N. E.

veluti leones rugire solent, ferinos suos iracundie motus zelo zeli obnubilant, dicuntque se ad iracundiam moveri zelo filios et domesticos corripiendi, et ad meliorem frugem perducendi; ecce qui iracundiam christiani et religiosi zeli pallio operiunt. Famuli, qui dominorum bona furati sunt, furta sua excusare solent, dicentes se furatos esse, ut fratris, sororis, vel aliorum pauperum necessitatibus subvenirent: ecce qui furantur ex misericordie motivo. Patronus, qui clientes suos ad litigandum excitavit, probe sciens jura eorum claudicare, ac eos causa casuros, Confessario dicit, se nullum iis intulisse damnum: quin potius eos sibi obstrictos, quia ab iis parum emolumenti percepit respectu multo laboris, quem in gerendis eorum negotiis expendit: ecce hominem, qui cum clientes ad multas et inutiles expensas faciendas pravis suis consiliis implicaverit, eos de ipso bene meritos fatetur. O fallaces hi omnes peccata sua confitendi modi? O quales fucos! O quam inique ab hujusmodi penitentibus scelerum facies immutatur! cum ea ita declarent, ut non peccata, sed virtutes videantur. Væ autem illis qui dicunt bonum esse quod malum est, et qui scelera sua Confessariis sub virtutis specie manifestant: *Væ qui dicitis malum bonum* (Is. 5, 20). Væ illis: quia per penitentiam non sanabuntur, nec justificabuntur: *Nè latebras quæras, ne sub doli pallio lateas, non vulnera tua pallies; si enim operam medicantis expectas, necesse est ut vulnera tua detegas* (D. Tho.). Væ illis: quia cum mortalia sua peccata, non ut peccata, sed ut virtutes declarent, non solum veniam non obtinent, sed et grave sacrilegium perpetrant. Væ tandem illis: quia cum tanta illorum sit hypocrisis, ut malitiam suam virtutis velo operiant, in Dei maledictionem incurrunt: *Væ vobis hypocritæ*.

Beatus vir, inquit Propheta, *cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus*. Quis est ille homo beatus, in cujus spiritu non est dolus? Hic homo, inquit Augustinus, est ille peccator, qui cum intus multorum sit reus scelerum, coram Confessario justus videri non satagit, nec illi peccata sua sub virtutum specie declarat: *In spiritu ejus non*

est dolus, qui non habet in ore suo ostentationem justitiæ, cum conscientia ejus peccatis plena sit. Hic quidem beatus est: sed infelices illi, qui cum intus mali sint, ostentationem habent justitiæ: qui peccata sua virtutis veste induunt, eaque Confessario tamquam virtutes declarant; Væ illis hypocritis, qui æterna maledictione digni sunt: *Væ vobis hypocrite.* Væ illis; quia si non convertantur, in inferno cum hypocritis æternum cruciabuntur: *partemque ejus ponet cum hypocritis* (Math., 24, 31). Quare ite, *ostendite vos Sacerdotibus.* Non sufficit, quod eos adeatis; non satis est, quod coram illis procedatis; sed vosmetipsos ipsis ostendite, propriam iis patefacite conscientiam; mortalia que perpetrastis, eis declarate, non aliqua solum, sed omnia sine exceptione, sine diminutione, et sine furo. Ecce que peccatorum confessio ad veram poenitentiam necessario requiratur. *Aliquid de satisfactione dicamus.*

III PARS.

Ad veram poenitentiam requiritur satisfactio.

Ex peccatoribus plurimi sua facile fatentur crimina, eaque libenter declarant: imo et ea nonnunquam nimia cum impudentia Confessario dicunt. Cum vero de satisfactione Deo et proximo faciendi agitur; hoc opus, hic labor est. Ut tamen vera et integra sit poenitentia, oportet, ut homo poenitens satisfaciatur. 1. Pro peccatis perpetratis. 2. Pro bonis temporalibus injuste detentis. 3. Pro damnis proximo iniuste illatis.

1. Non sufficit poenitenti mores in melius mutare, et a peccatis, peccandique occasionibus discedere; sed insuper oportet ut pro jam perpetratis criminibus satisfaciatur Domino, qui peccata ita dimittere solet ut aliquam ab iis, quibus indulget, satisfactionem exigat. Deus quidem ita misericors est, ut in poenitentia Sacramento remittat culpam, ac etiam poenam æternam, mortali peccato debitam, in poenam temporalem commutet; sed justitia ejus aliquam ex parte peccatori satisfactio-

nem expectat; et aliquam poenam temporalem, quam satisfactionem vocamus, ab eo exigit. Hoc onus ei justitia divina imponit, cum illi peccata dimittit, et ut loquitur Tertullianus: *Hoc pretio Dominus addicere veniam instituit, hæc poenitentia compensatione redimentam proponit impunitatem.*

Satisfactio, prout est pars integrans Sacramenti poenitentia, nil aliud est, quam compensatio poenæ temporalis debita ob injuriam Deo illatam, que compensatio perficitur operibus poenabilibus taxatis a Confessario. Licet enim scire præcise nequeant Confessarii, quanta poena post culpam remissionem a quolibet poenitente sit subeunda; tenentur tamen cuilibet poenitenti (qui non sit incapax poenitentiam adimplendi) poenam aliquam imponere, quam vocamus poenitentiam, vel satisfactionem: tenentur, inquit Concilium Tridentinum, *salutares et convenientes poenitentias injungere.* Et has poenitentias, seu satisfactiones acceptare et adimplere tenentur poenitentes; tum ut integrum faciant poenitentia Sacramentum, tum ut justitia divinae satisfaciatur, tum ut Confessarii, et legitimi sui judicis sententia obtemperant.

Eos qui poenitentias a confessariis impositas acceptare nolunt, stultos vocat sanctus Leo Papa dicens: *Multi tanta falluntur stultitia, ut capitali crimine culpatis, poenitentiam a suis sacerdotibus acceptare nolint.* Eas acceptare et adimplere tenentur, si possint: sicut enim Sacerdos eas imponere ita et eas poenitens adimplere tenetur, quia cum uterque concurrat ad Sacramentum, uterque etiam, quantum in se est, ad Sacramenti integritatem concurrere tenetur. Unde Tertullianus eos qui poenitentias sibi a Sacerdote impositas adimplere recusant, graviter insectatur his verbis: *Poenitentiam acceptant, sed implere eam negligunt. Quam ineptum, quam iniquum poenitentiam non implere!* Ut vera ergo sit poenitentia, satisfaciendum Deo pro peccatis perpetratis: *sed satisfaciendum etiam proximo pro bonis ab eo injuste ablatis.*

2. Poenitens est ablata restituere: poenitentes enim qui non restituunt aliena, que restituere possent si vellent, non veri, sed ficti sunt poenitentes: *Si res aliena propter quam*

peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur (August., Epist. 54 ad Maced.). Jejunet quis toto vita suae tempore legeat, pectus tundat, et divinam misericordiam quantum volerit imploret, haec omnia verum poenitentem non efficiunt, falsaque et ficta est haec poenitentia, si restitutio non fiat: *non agitur poenitentia, sed fingitur*. Avarus, inquit S. Gregorius Nazianzenus, similis est sanguisugae: *avidum cruoris emulatur hircudinem*. Sicut enim hircudo, seu sanguisuga alienum cruorem, sic et avarus alienas opes cupit, sugit et deperit. Sed si sanguisuga alienum sugentes sanguinem imitentur avari; illas eundem sanguinem evomentes imitari debent. Sicut sanguisugae arte medicorum offuratum sanguinem emittunt, et evomunt: ita cum ad spirituales medicos, seu ad Confessarios poenitentiae causa accedunt avari, suffuratum sanguinem, seu male partas opes evomere et restituere debent, si possint; aliter poenitentia eorum vana est, et nulla: *Haec poenitentia necessario vana, quia caret fructu suo, seu remissione peccatorum* (Tertul., lib. de poenit., c. 2).

Homini, quantumvis impio, poenitentiam agenti, veniam, gratiam et vitam aeternam pollicetur Deus ea conditione, quod aliena restituat: *Si pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit* (Ezech. 33, 14). Si enim, cum restituere possit, non restituat, inanis et nulla ejus est poenitentia, nullaque ei salutis spes superest. Ad hoc ergo ut vera sit poenitentia, satisfaciendum pro bonis injuste detentis: *ac etiam pro damnis proximo inique illatis*.

3. Eos qui aliena restituere volebant, cum possent, arguebat, increpabat, et sacra Communionem privabat D. Augustinus: *Nolentes reddere, quos novimus et male abstulisse, et unde reddant habere, arguimus, increpamus, detestamur, aliquando etiam sancti altaris Communionem privamus*. Cur tam acriter et aspere arguit et increpat Augustinus eos qui aliena detinent, et ea reddere nolunt? cur eos detestatur, eosque sacra Communionem privat? Ratio est: quia quamdiu aliena quae detinent, non restituunt, poenitentia eorum vana,

inutilis et nulla est. Quod autem de iis qui aliena detinent, et non restituunt, dicit Augustinus; hoc idem dicendum de iis qui proximo damnum intulerunt, et ei non satisfaciunt: quia damnum inferre proximo in bonis temporalibus, et bona ejus temporalia auferre unum et idem esse videtur: *Quicumque damnificat aliquem videtur ei auferre, in quo ipsum damnificat* (D. Tho. 2, 2, q. 64, a. 40). Quare cum poenitentia eorum qui aliena detinent, sit nulla, si ea non restituant: ita et poenitentia eorum, qui proximo damnum intulerunt, nulla est, si tale damnum non resarciant, et si damnificato pro ratione damni non satisfaciunt.

Dammum, inquit Aristoteles, dicitur ex eo quod aliquis minus habet, quam debet habere. Unde cum damno, quod alteri intulisti, sis in causa, quod ille minus habeat, quam habuisset, si ei damnum non intulisses; videtur, quod illi abstuleris id, quod minus habet, et in quo minus dives est. Ac proinde damnum ei illatum resarcire teneris; et si illud non resarcias, cum possis, poenitentia tua vana est, nulla est, sacrilega est, ac sacra communione prorsus indignus es. Ecce quae ad veram poenitentiam requirantur. Vis veram facere poenitentiam, quae peccata tua destruat? Cor doleat, confiteatur lingua, manus satisfaciat. *Cor doleat*; sitque cordis tui dolor *verus*, qui ex corde vere prodeat; *universalis*, qui ad omnia mortalia se extendat; et *constans*, qui propositum non amplius peccandi includat. *Confiteatur deinde lingua*, non aliqua solum mortalia, sed *omnia* sine exceptione, *omnia* sine diminutione, *omnia* sine fuce. *Manus tandem satisfaciat*: tum pro peccatis in Deum perpetratis: tum pro bonis injuste detentis: tum pro damnis proximo inique illatis.

Ecce quid requiratur, ut vera sit poenitentia: si hujusmodi poenitentiam feceris, optimum tibi medium erit ad destruenda peccata. Poenitentia falsa, inquit Augustinus, non est in remedium peccatorum; sed est potius aeternae damnationis occasio: *non sanabit, sed cruciabit*. Quare pro viribus contendite, ut poenitentia tua non sit falsa, sed vera. Sincero corde peccata detestare, ea omnia ore confitere, ac manum adhibe, ut Deo et pro-

ximo satisfacias. Hoc si facias, penitentia tua vera erit, peccata tua vere destruet tibi que regna cœlorum aperiet, ubi in æternum regnabis. *Amen.*

CONCIO XI.

DE PECCANDI OCCASIONIBUS.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27, 9).

Tanta est connexio inter proximam peccandi occasionem, et peccatum ut illa sine isto vix reperitur. Non solum, quia proximæ peccandi occasioni se exponere peccatum est; sed etiam quia qui ei se exponit, ad peccata, ad quæ talis occasio inclinatur, facile declinat. Et ideo Tertullianus eos, qui in proximis peccandi occasionibus versantur, funambulis comparat, et funambulos vocat. Sicut enim funamboli, qui supra distentum funem gradiuntur, si alibi respiciant, si nutent genua, vel si caput vertiginet, in orchestram decidunt et pereunt; ita et qui lascivie, aliisque proximis se exponunt peccandi occasionibus, quasi funambuli, non quidem in terram, sed in peccatum, et deinde in infernum misere ruunt. Quare optimum ad vitanda et destruenda in semetipso peccata medium est peccandi occasionibus non se exponere, et ab iis se subtrahere. Ad quod faciendum ut vos allicere valeam, ista concio erit de proximis peccati occasionibus, seu de illis peccandi occasionibus, quæ vehementer ad peccatum trahunt, vel potius de illis occasionibus, quibus præsentibus, quis peccare solet. *Ave.*

Norunt omnes, santissimum Prophetam David in grave adulterii peccatum infeliciter lapsus esse: notum etiam est omnibus illum penitentiam egisse, multisque lacrymis et jejuniis scelus suum expiasset, sed velim ut quisque advertat, quod ut

piissimus ille Rex hoc peccatum in seipso penitus destrueret, utque gravia omnia peccata devitaret, proximis peccandi occasionibus nusquam amplius se exposuerit. Quin contra reliquo vitæ suæ tempore periculosas peccandi occasiones summopere timuerit, eas omnes sedulo fugerit, et eas in occasiones ad bonum allicientes immutaverit. Proximas peccandi occasiones timuit Propheta, et ideo Deum enixe rogabat, ut ab ipso illas amoveret: *viam iniquitatis amove a me (Psal. 118)*. Eas fugit; et ideo ab hominum conversione se elongabat: *Ecce elongavi fugiens*. Eas mutavit, et ideo relictis locis, quæ illi peccandi occasionem præbent, ad solitudinem properabat ubi virtuti sedulo incumbendi occasio nem habebat, *et mansi in solitudine*.

O homo, tu qualiscumque sis, ut peccata in temetipso destruas, utque illa ita abicias, ut in ea amplius non labaris, regium imitare Prophetam, et simul cum illo proximas peccandi occasiones time, fuge, et muta. Ad quod faciendum ut alliciaris, eas timendas, fugiendas, et mutandas jam probabimus. Proxime peccandi occasiones sunt: 1. timendæ: 2. fugiendæ: 3. mutandæ.

I PARS.

Peccandi occasiones sunt timendæ.

Licet timor omnium passionum infima, et ultima sit, laudabile tamen, gloriosum, et necessarium est timere respectu occasionum peccati. Qui enim peccandi occasionibus sese implicare non timet, in gravia peccata facile cadit, qui autem iis se exponere pertimescit, a peccatis cavet, et propria salutis recte consulit; *timendo cavebitis, et cavendo salvus eritis*. Postquam primis parentibus prohibuit Deus, ne de fructu arboris, quæ erat in medio Paradisi, comederent, non statim Evæ suavitatis diabolus, ut de fructu vitæ comederet: sed illi prius occasionem de eo comedendi præbuit. Suavitatis illi prius